



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Thesaurus Eloqventiae Sacrae Et Profanae, Saluti &  
incolumitati Rerumpublicarum utilissimae**

**Alberti, Alberto**

**Coloniae Agrippinae, 1669**

Candido, & veritatis candidato Lectori.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69225](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69225)



Candido, & veritatis candi-  
dato Lectori.

**A**Nte, quàm Actionem hanc inspi-  
cias, da mihi operam parumper,  
quæso, humane Lector: paucis enim est,  
quod te volo de more. Sine verborum offi-  
ciosis officiis, quæ multas sæpe paginas fru-  
stra occupare solent, quid tibi velim ma-  
ximè non latère, statim perstringam. Pri-  
mò Candidum te appellavi, quòd unâ ra-  
tionis defecata trutinâ abs te, Veritatis  
cubilia sine ullo affectionum astu sincerè  
indagante, meam hanc qualemcumque  
lucubrationem expendi, censerique disci-  
pio. Alioqui si quis animo malè placato,  
vel averso stomacho, vel harum litera-  
rum haud satis gnarus in me genuinum il-  
lico figere voluptati habeat, nemo, credo,  
à me, ut istius eam iudicio censuræ sub-  
jiciam, meritò postulaverit. Cordatos  
ego viros, eloquentiæ apprimè peritos, sty-  
lique, ac Latinitatis scientiâ perpolitos  
meæ hujus Actionis Iudices non modò non  
recuso, sed ultro etiam posco, atque, ut me  
liberè

liberè moneant, corrigantque, ex animo  
quoque supplex obtestor.

2. Quum autem tuas in manus hic liber  
pervenerit, ne, rogo, ejus mole haud sanè  
exigua, primo statim aspectu, patiaris te  
ab ipsius lectione absterreri, sed illum deli-  
ba saltè, specimènque aliquod, si non  
vis omninò perlegere, explorabundus pra-  
cerpito: hoc unum si à te impetravero,  
fortè gustata lectionis te non parirebit:  
fortasse rerum suavitate invitatus, de  
manu nisi lustratum omninò non mittes.

3. Librum totum, exemplum Cicero-  
nis suas in C. Verrem Orationes Actionis  
nomine donantis secutus, Actionem in-  
scripsi, tum quòd Actio judicialis plerun-  
que generis Oratio foret, tum quòd haud  
paulò longior ferè esset, quàm quæ haberi  
soleret, aut posset ad clepsydram. Multa  
enim Oratores, angustiis dicendi spatii in-  
terclusi, in suggestu leviter tantum attin-  
gere: multa abrumpere, aut penitus omit-  
tere cogebantur; quæ tamen omnia, ubi  
Orationem, seu actionem in vulgus ede-  
bant, copiosè, atque eadem prorsus formâ  
ac si in Rostris, atque in Foro habita esset,  
dilatabant. Haud secus, quum mea con-  
D troversia judicialis sit, atque ego meis  
Ad-

Adversariis dicam hinc scribam, eosq; in  
jus vocem; causa etiam longa admo-  
dum sit, & nihilominus eo scripta stylo,  
ac si de Rostris ad Auditores esset perora-  
ta, non temere, ut reor, neque ab re nomen  
sibi vindicat Actionis.

4. Libuit etiam hac oratoria potius  
Actione, quam consueta forma disceptan-  
di, pressa magis, atque leniore, eloquentia  
vitia, que jam passim grassantur, exagi-  
tare; ne quis, quod plerisque aliis Scripto-  
ribus nonnunquam vitio, neq; immerito,  
verti solet, quod multa quidem in alio-  
rum orationibus, atque Concionibus re-  
prehendant; at nullam ipsi neque Oratio-  
nem, neque Concionem ad Aristorelis,  
Tulliq; precepta exactam sciant, aut pos-  
sint conformare; idem quoque mihi, si  
ceterorum errata dumtaxat insectans,  
nullo ego dicendi exemplo, qui ejusmodi  
errata inducenda, ac vitanda sint, docens,  
præire, jure objiceret. Hac de causa,  
quantum mihi per mearum tenuitatem  
virium fas fuit, studui eadem opera & a-  
liena piacula carpere, & germanam Ora-  
tionis formam in exercitatione traduce-  
re. Non equidem, quod mihi persuadeam,

Ciceroniana characterem eloquentiæ me  
consecutum (sat scio, quàm longè ab sim)  
sed ut aliquam informationem rudemq̃  
speciem tibi, Lector, porrigerem, ex qua  
tanquam ex ungue Leonem, quàm pul-  
chrè oratoria Aristotelis, & Tullii præ-  
cepta, quibus inherere conatus sum, cū usu  
ipso, si quis eloquendi peritus, illis, si non  
ad amussim accuratè saltem insiterit,  
sint consensura, posses colligere.

5. Ad levandum tamen tadium, quod  
ex longiore, eaq̃, perpetua lectione oriri  
solet; totam Actionem, etsi una omnino,  
ac sola sit, ut ex subjecto schemate facile  
liquet, quinque in partes precipuas, nem-  
pe in confirmationem, in refutationem  
(quæ duo in capita divisa est) in appen-  
dicem de Concionum corruptelis, & in  
hujus operis defensionem, præter exor-  
dium, & perorationem: singulas verò  
partes minora in membra, atque parti-  
culas de industria secui, & distribui.

Quòd si ea de fine persuasionis differ-  
tatio initio explicata, ceteraq̃, præmuni-  
tiones longiora paulo sunt, cupiditatemq̃  
tuam præcipuæ questionis quàm primùm  
inspiciendæ, atque ad Confirmationem  
pro-

properandi, si non ludificari penitus; at  
diutius al. quanto, quàm par sit frustrari  
videntur, ac fallere: patienter id, quaeso,  
quicquid est, mora sustine, videbisq; in  
progressu ejusmodi pramunitiones huic  
controversia non minùs necessariò fuisse  
adhibendas; quàm domui fabricandæ sua  
præstruuntur fundamenta. Sin autem  
ingenio adeo volucris es, moræq; omnis im-  
patiente: age, totas illas pramunitiones  
neglige, ac post questionem membro 19.  
propositam, statim ad Confirmationem  
membro 47. collocatam transvola.  
Quaquam totum ædificium ruat, ne-  
cesse est, nisi quæ in pramunitionibus sta-  
biliuntur, pro exploratis habeantur.

6. Appinxi præterea ad calcem operis, do-  
ctorum virorum exemplo, eorum voca-  
bulorum, quorum ferè in communi ser-  
mone rarior est usus, ac proinde minùs  
vulgò comperta sunt, cum aliorum etiam  
nonnullorum, etsi non ita ignotorum, in-  
dicem atque explanationem; ut scilicet  
qua mente singula usurparim, dilucesce-  
ret. Lectorique, si quid eum fugit, aut  
remoratur, tanquam nomenclator ad  
manum brevi ac plana simulq; exigua  
molis,

molis, ut quolibet nullo negotio liber circumferri possit, interpretatione aperire, Characteres autem vocabulis ipsis, quæ explico, introrsus, parilesq; alios extrinsecus in margine, ut facile reperiri queant, adjunxi. Sed quia interjecti intrinsecus, expeditæ lectioni, dubitationis objecta remora, non nihil officunt, eos post pag. 72. deinceps penitus omisi, ceterosque in margine tantum retinui.

7. Porro si quas leges in Latini usu sermonis mihi sanctas esse voluerim, quas ut supersticiosas rejecerim, ex me forte sciscitaris; integram ego de Scitis ac Placitis Latinitatis Dissertationem, in qua Latinam linguam non tantum ex aurei seculi Auctoribus, sed ex aliis quoque ceterioribus hauriendam ostendi, non oscitanter, ut rear, elucubravi. Hanc, amice Lector, ante quam verbum ullum, aut nomen Latino invisum calo, atro notes calculo, ut legas, etiam atque etiam rogo. Equidem, ut omnem in scribendo affectationem, & morositatem summopere mihi cavendam duxi; ita non indiligenter, puto, curavi, ut vocabula singula, loquendiq; forma, Latina commendata tessera,

ac munita, aliquem semper ex Classicis  
Scriptoribus, vel certè ineluctabile neces-  
sitaris telum, justamve imitationis ratio-  
nem, ut infra in adjecto Catalogo planius  
constabit, testari possent.

8. Quod si cui in descriptionibus,  
quas & paulo plures, & multo longiores,  
quàm in ullius Auctoris una Oratione  
hactenus legantur, mea sola Actione com-  
plexus sum, nimius fortasse videor: nemo,  
opinor, facile eas vituperabit, si meam  
hanc lucubrationem non reliquarum O-  
rationum exemplo metiendam, secum  
attentè reputaverit. Nulla enim ad hanc  
usque diem Oratio, qualis mea est, fortè  
lucem aspexit. Alia mihi dicendi occa-  
sio quàm ceteris; aliud consilium; ratio,  
materia, scopus, ac finis alia. Nemo quip-  
pe Oratoriam controversiam tam longa  
Oratione, ut ego, diremit. Quid mirum  
igitur, si in longiore tot tantisq; partibus  
Oratione plures etiam, & productiores  
descriptiones appareant? Aliorum Ora-  
tiones auribus, atque Auditoribus ser-  
viunt: mea verò, quum eo consilio scripta  
sit, ut legatur tantùm, non ut habeatur,  
oculis dumtaxat, atque Lectoribus. Quid  
quòd



quòd nulla harum descriptionum, ni fallor, otiosa, nulla supervacanea, nulla (quales non rarò assuuntur) temerè agglutinata? Ego enim singula propemodù, quæ describo, commodùm in rem meam minutatim traduco. At quod ad probandum egregiè confert, causæq; velificatur (nisi quid aliud piaculi secus jubeat) sine ulla religione in Orationem aptè trahi potest. Quare, quum descriptiones illæ, quibus usus sum, & causæ confirmandæ conducant, & in vitium, si quod carpendum est, bellè quadrent, jure non omittendas existimavi. Imò, quum nonnullorum vitiorum tam variæ, ac multiplices saepenumero partes sint, tum sinus adeo complicati, tectiq; hi certè omnes, nisi longa, accurataq; descriptione, tanquam laciniosa quedam vestis, satis explicari non possunt.

9. Ne quis verò asseriore, à me stylo quum Oratores, tum Concionatores eloquentia turpiter abutentes perstrictos esse meritò conqueri possit, integra hac de re disputatio tum parte prima, tum quinta conflata, validè intercedet.

10. Ad hac, si in Orationis vestibulo

res

res nimio plus exaggerari videatur, materiaq; nec tanti esse momenti; neque tam confragoso dictionis generi par, neque satis digna, ut de ea, ac si de Græcia, Trojaq; fortunis ageretur, tanta contentione dimicaretur; paulisper, quæso, hoc præjudicium differto, statimq; in lectionis cursu num. 8. non de verborum phaleris, vel de Rhetorum flosculis litem esse contestatam, sed omnia ad gravissimum sacri Concionatoris munus ritè obeundum, quo sicut in humanis ad animas Christo, celoq; lucrandas nullum præstantius est instrumentum; idætiã majus nullum ferè suppetit argumentum, referri animadvertas. Vt enim Hebræi gazas Ægypti, quas abstulerunt, Deo olim devoverunt; & profana Deorum sana sanctè expiata, à Christianis populis vero sacrari Numini consueverunt: ita profectò omnis illa Senatus, Fori, atque Rostrorum civilis eloquentia hîc sacra ad Tempia transfertur, juxtaq; divina quadam adornata specie, æternæ procuratrix felicitatis, inauguratur.

II. Præterea, ut Auditores ego Actioni huic consentaneos in concionem cogere, necesse

neceſſe planè habui ſpecioſo uti commento,  
ac fingere, generalem totius Orbis con-  
ventum, in quo de cunctis corruptelis &  
Chriſtiana Repub. tollendis, ac proinde  
& de Orationum, Concionumq; vitiis  
quoque extirpandis in medium de more  
conſulitur, celebrari; cujus Praſides ex  
doctiſſimis, lectiſſimiſq; viris cōſtantes, ſoli  
Iudicum munere funguntur; ceteri verò  
tam Oratores, quàm Concionatores ad id  
Concilium nominatim convocati, Audi-  
torum dumtaxat partes agere cenſentur.

12. Poſtremò, quod ad ſcribendi, in-  
terpungendiq; rationem ſpectat, quum  
hac apud eruditos non omnino rata, &  
fixa ſit, ſed varia, ac multiplex, mihi ſa-  
tis fuit, eam, quam viris diſertiſſimis pro-  
batam, ac frequentatam video, uſurpare.  
Vnde nullis ego accentibus, niſi ubi ad u-  
nam vocem ab alia diſcriminandam opus  
eſt, uti ſoleo: atque adeo bene, rite,  
clam, tum, ideo, praepoſitiones a, & e,  
& ſimilia ſine ulla accentiuñcula ſcribo,  
quod ſi ſecus quidpiam alicubi obſerva-  
tum offenderis, librario dumtaxat im-  
puta.

Guiliel-